

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,  
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,  
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617819**

Caput CCIV. Pontifices Ac Pharisei Custodiam Sepulchro Dominico  
Adjungunt.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17617**

## CAPUT CCIV.

PONTIFICES AC PHARISÆI CUSTODIAM SEPULCHRO  
DOMINICO ADJUNGUNT.

MATTH. 27. v. 62.

## RATIO ORDINIS.

**A** Descriptione sepulturæ Christi Marcus, Lucas & Johannes immediate progrediuntur ad describendam resurrectionis Dominicæ manifestationem. Sed Matthæus peculiare quid commemorat, quòd die resurrectionem Christi proximè antecedente contigit, videlicet quòd Pontifices ac Pharisæi militibus à Pilato Præside

impetratis sepulchrum Christi custodiverint, ne corpus demortui à discipulis furtim sublatum falsam resurrectionis opinionem animis hominum infillaret. Hæc ergo Historia resurrectionis manifestationi præmittenda. Illam ut solus Matthæus descripsit, ita quoque in capite 28. sequente solus testimonium horum custodum de Christi resurrectione exposuit.

HISTORIA DE CUSTODIBUS SEPULCHRO  
DOMINICO ADJUNCTIS.

MATTH. 27.

62. Τῇ ἑπιπέμῳ, ἥ τις ὁ μὲν τὸ πρῶτον ἐπέμψεν αὐτὸν  
οἱ δεχόμενοι αὐτὸν οἱ Φαρισαῖοι πρὸς Πιλάτον.  
63. Λέγοντες, κύριε ἐμνήθημεν, ὅτι ἐκεῖνος ὁ πλάσθε  
εἰπεν ἐπιπέμῳ, μὲν τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι.  
64. Κελεύσαντες αὐτὸν Φαλιθαίηναι, τὸ πρῶτον εὖς τὴν τρίτην ἡμέ-  
ρας, μὴ ποτε ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νεκρῶν  
κλέψωσιν αὐτὸν καὶ εἰπώσιν τῷ λαῷ, ἠγέρθη ὁ πρῶτος  
νεκρῶν, ἔσται ἡ ἐσχάτη πλάσι χείρων τὸ πρῶτος.  
65. Εἶπεν ἡ αὐτοῦ οἱ Πιλάτῳ ἔχετε κερσωδία, ἡ πλάσι,  
ἀσφαλίου, ὅς ὡς οἴδατε.  
66. Οἱ ἡ πορὸν ἔντες ἡσφαλίου, τὸ πρῶτον σφραγίσαντες  
τὸ λίθον μὲν τὸ κερσωδίας.

62. Postero autem die, qui sequitur pasceven, conveni-  
runt principes Sacerdotum ac Pharisei ad Pilatum,  
63. Dicentes, Domine, recordati sumus, quod impostor ille  
dixit adhuc vivens, post tres dies resurgo.  
64. Jube ergo muniri sepulchrum usq; in diem tertium,  
ne quando veniant discipuli ejus noctu & furentur  
eum, dicantq; plebi, surrexit à mortuis. Et erit  
novissimus error pejor priore.  
65. At illis Pilatus, Habetis custodiam, ite, munite sicut  
scitis.  
66. Ille verò abeuntes munierunt sepulchrum obsignato la-  
pide, adhibitis custodiibus.

## Exegesis hujus Historia.

**D**aniel. 6. v. 14. & seq. commemoratur, quod Rex Darius vehementer laboraverit, ut Danielem ex manibus inimicorum liberaret, sed cum nihil proficeret, abjectus fuit Daniel in lacum leonum ac Rex obsignavit sigillo suo lapidem super os foveæ illius collocatum. Factum autem mirabili Dei providentia, ut Daniel vivus & incolumis ex lacu leonum prodierit. Hæc Historia ad passionem Dominicam pulcherrimè applicari potest. Pilatus strenuè laboraverat pro Christo ex manibus Pontificum liberando, sed cum frustra omnem operam sumeret hostes ipsius velut leones rugientes aperuerunt contra eum os suum Psal. 22. v. 14. & curarunt in sepulchri foveam eundem abjici, ubi lapidem super os sepulchri collatum Pilatus sigillo suo obsignat. Sed mirabili Dei consilio Christus ex sepulchri fovea redivivus surgens omnia hostium suorum consilia, conatus omnes evertit. Hæc se-

pulchri custodia & obsignatio describitur in præ-  
sente pericope complectente Historiam eorum,  
quæ proximè à sepultura Christi die per Pontifices  
ac Pharisæos gesta sunt, quomodo scilicet impetratà à  
Præside militari custodia sepulchrum munierint &  
obsignarint. Possit hæc Historia ad ipsam sepultu-  
ram referri, & septimum narrationis membrum de  
sepulchri custodia complere, sed quia videtur à reli-  
quis Historiæ de sepultura partibus per adversati-  
vam h̄ separari, ideo rectius peculiari capite expli-  
catur. Possunt autem hujus pericopes duæ statui  
partes, Prior exponit Pontificum petitionem, Post-  
rior præsidis annuicionem.

1. Τῇ ἑπιπέμῳ scilicet ἡμέρα, die postera, qua est  
post pasceven, h. e. in ipso Sabbato, in quod primus  
dies Paschalis festi maximè solennis eo tempore  
juxta computationem Judæorum incidebat. Pa-  
ralceve est feria sexta, quam nos vocamus diem Ve-  
neris

neris, quæ ἐξ ἑσπερίας, hoc est, preparationis nomine appellatur, quia solebant illo die parari necessaria. ad proximè sequens Sabbathum, quo ab omni opere servili erat cessandum Ex. 16 v. 23. c. 20. v. 10. Syrus vocat eam כַּתְּבֵי שַׁבָּת subintellige כַּתְּבֵי שַׁבָּת vel per am Sabbathi, Marc. 15 v. 42. appellat Πρωτάσάββατον, Antefabbatum, ergò dies postera, quæ proximè sequitur Parasceven, est ipsum Sabbathum. Hanc temporis circumstantiam propterea tam diligenter Evangelista notat, ut ostendat, Christum die septimo sive Sabbatho quievisse in sepulchro post peccatum redemptionis opus, atque ut arguat impiam Pontificum & Phariseorum hypocritin. Hactenus perpetuas de Sabbathi observatione habuerant cum Christo contentiones, hoc potissimum argumento doctrinam & miracula ipsius impugnantes, quòd non servet Sabbathum, Matth. 12. vers. 5. Marc. 3. v. 2. Luc. 6. v. 1. & 7, cap. 13. v. 14. c. 14. v. 3. Johan. 5. v. 10. cap. 9. v. 16. Sed hoc loco superstitiosi illi observatores Sabbathi non verentur ipso Sabbatho, in quòd primus dies Paschatos maximè solennis simul incidebat, opera maximè servilia imò hostilia suscipere, ex odio etiam contra Christum. petunt à Præside custodiam militarem, educunt eam ad sepulchrum, obfignant lapidem sepulchrallem ac modis omnibus hoc agunt, ut Christi resurrectionem impediant. Nimirum hoc est hypocritarum ingenium, *culicem colant & camelum deglutunt* Matth. 23. v. 24. Christum accusaverant, quòd Sabbatho sanasset ac benefecisset, ipsi vero Sabbatho Paschalis festivitatis cruenta consilia tractant, & resurrectionis bonum impedire saragunt Theophyl. observat, Evangelistam hac circumlocutione usum, ut non adhiberet appellationem Sabbathi, sed vocaret diem posteram proximè sequentem Parasceven, quia quantum ad Judæorum insaniam attinebat, non fuerit Sabbathum. Sed cum Marcus pridianam Sabbathi diem appellat Πρωτάσάββατον, nec Matthæus fuisset veritus diem parasceven proximè sequentem appellare Sabbathum respectu ordinationis divinæ, quæ per hominum improbitatem non tollitur vel aboletur. Illud utilius observatur, quòd cum Principibus Sacerdotum Pharisei dicuntur ipso Sabbatho ad Pilatum abiisse. Affectabant Pharisei præ cæteris famam sanctitatis, erant præ cæteris superstitiosi cultores humanarum traditionū, sed hoc loco nullà Sabbathi religione habitā in odio, invidia & machinationibus contra Christum pergentes custodiam sepulchro illius addunt. Procul dubio curam religionis instituto suo prætenderunt, quòdque res nullam patiatur moram, Sabbathi igitur observationem bono publico debere cedere, solent enim hypocritæ prætextu nominis & cultus divini impietatem atque odia sua obvelare. Quà Sabbathi horā ad Pilatum venerint, otiosè quæritur. Quidam existimant nocte, quæ Sabbathum inchoabat, ipsos Pilatum accessisse, ne primā statim nocte discipuli corpus Jesu furto auferrent, sed vix videtur etiam noctis tempore ad Pilatum ipsi paruisse aditus, verisimilius igitur dicitur, quòd mane ad ipsum venerint, sicut jam antè summo mane Christum condemnandum ad tribunal ipsius perduxerant, quam sententiam vox ἐπάγγελον apud Evangelistam confirmat, ἀνεῖλον enim Eustathius vult fieri ab ἄνω, quòd est splendeo, fulgeo. Adde quòd non videbatur metuendum, ne Christi

stus primā statim nocte resurgeret, quem prædixisse noverant, die demum tertio sese ex mortuis resurrecturum, quòd si discipuli nocte eā corpus Christi abstulissent, per sepulchrum vacuum inventum fraus ipsorum statim detecta fuisset. Ergò non nocte, sed luce Sabbathi veniunt ad Pilatum dicentes: *Domine, recordati sumus, quòd impostor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgo. Jube ergò muniri sepulchrum usque in diem tertium, ne quando veniant discipuli ejus noctu & furentur eum, dicantque plebi. Surrexit à mortuis, & erit novissimus error peior priore.* Pilatum vocant κλέρον, non tantū internæ subjectionis, quā externæ reverentiæ causā, erant enim Romanæ dominationis impatientissimi ac perpetuas de libertate populi Judaici disputationes agitabant. Syrus reddidit ἡμῶν Domine noster. Captant ergò honorificā illā appellatione benevolentiam Præsidis, quem in concedenda honestæ sepulturæ facultate erga Josephum tam promptum & obvium fuisse audierant. *Recordati sumus*, inquit. Ergo suo ipsorum testimonio convincuntur, quòd audierint Evangelium de Christo, noluerint autem fidem illi adhibere, sicq; hæc confessio in propriam ac perpetuam perniciem ipsis cedit. Quidam suspicantur, Judam proditorem hoc secretum, prædictionem scilicet resurrectionis tertio die expectandæ, Pontificibus ac Phariseis detexisse, cum ascendens Hierosolymam *κατὰ ἰδιαν* discipulis illud revelasse dicatur Matth. 20. v. 17. Sed dubitari nequit, quin alio tempore etiam reliquis suis auditoribus illud prædixerit, qui ad Pontifices & Phariseos illud postmodum retulerunt, quoniam Matth. 12. vers. 39. Christus cum quibusdam Scribis & Phariseis signum è cælo petentibus disputans remittit eos ad typum Jonæ. *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic Filius hominis erit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, proinde non potuit illis esse ignotum vaticinium de resurrectione tertio à morte die expectanda. Quòd enim referunt, Christum dixisse, *post tres dies resurgam*, id per synechocchen in Scripturis usitatam positum est pro eo: Die tertīa resurgam, unde & nequaquam postulant sepulchrum custodiri post tres dies vel usq; in diem quartum sed εως τῆς τρίτης ἡμέρας, usq; in diem tertium, quòd probe notandum, ut verus sensus phraseos κατὰ τῆς τρίτης ἡμέρας elucescat. Si enim phrasin Christi sic intellexissent, quòd post exactos tres dies resurrecturus sit, usq; in plures dies sepulchrum custodiri curassent. Sunt, qui existimant diem tertium numerandum non à Christi morte, sed ab hac petitione, verum ex antecedentibus intelligitur, quòd respiciant ad tertium à morte diem quo Christus sese resurrecturum prædixerat. Unde verò est, quòd dicunt se prædictionis hujus esse recordatos? cur non à morte statim petierunt Christum custodiri, cum ipsius & latronum simul crucifixorum crura frangi peterent? procul dubio honorifica illa sepultura, quā Christum concessione Præsidis à Josepho & Nicodemo honestatum viderant, prædictionem illam in memoriam ipsis rededit; cum enim inviti cogarentur audire vel etiam videre, Christum tam honorificè à Collegis suis esse sepultum, metuere cœperunt, ne honorifica sepultura esset præludium gloriose resurrectionis, sicut & reverà fuit. Dicunt ergò Pilato. *Recordati sumus, quòd impostor ille dixit adhuc vivens,*

post tres dies resurgo. ὁ πλάνος, vulgatus Interp. vertit seductor, inde quidam philosophantur, Judæos hoc loco inscios dixisse veritatem, sicut à Caipha fuerat factum Joh. 11. v. 50. Christum enim fuisse seductorem non à veritate in errorem, sed à falsitate ad veritatem, à vitiis ad virtutes, à morte ad vitam ductentem. Bernhardus serm. 1. Pasch. *Verè seductor, sed pius, non maliciosus. Seduxisti me Domine & seductus sum, ait Propheta, in vestra persona. Fortior me fuisti, & invaluisti. Seduxit vos ὁ Judæi in passione, nam in resurrectione invaluit & prevaluit vincens Leo de tribu Juda &c.* Sed præterquam quod seductoris nomen in pessimam partem apud Latinos perpetuò sumitur, in Græco textu est ὁ πλάνος, quod significat *erronem & impostorem*, Hesychio πλάνος est non solum *πλανήτης*, sed etiam *ἀπατέων*, sicut circulatores sunt non solum homines vagabundi & erronei, sed etiam deceptores fallaces, præstigiis suis homines decipientes. πλανέω enim est à recto itinere in errorem duco, vagari & errare facio Matt. 24. v. 4. Marc. 13. v. 5. *Videte ne quis vos πλανήσῃ in errorem ducat.* Falsi Doctores 1. Tim. 4. v. 1. 2. Joh. 7. vocantur πλάνοι, hoc est, non ipsi solum errantes sed etiam alios errare facientes. Syrus habet nomen *ܩܘܪܝܢܘܫܐ* impostor, seductor, sophista, à rad. *ܩܘܪܝܢܘܫܐ* seduco, decipio, spiritualiter scortari facio, quia idololatria ac hæresis in Scripturis vocatur scortatio. August. in lib. quinquag. homil. hom. 36. testatur, in Latinis libris olim nomen *plani* fuisse retentum, quo nomine etiam Horatius utitur pro circulatore ac vago errone, qui nugatoriâ sua levitate hominibus imponit. Cyprianus utitur voce *implantatoris* pro impostore. Quando ergo Pontifices & Pharisei Christum vocant πλάνον impostorem ac seductorem, accusant primum ipsius doctrinam, quod fuerit erronea ac hæretica, homines seducens: deinde, accusant ipsius miracula, quod fuerint meræ præstigiæ, quibus glaucoma quoddam oculis hominum objecerit: sicut circulatores facere consueverunt. Denique accusant ipsius vitam, quod fuerit vagabundus erro, homo nihili, qui nulpiam habuerit certam sedem, sed Judæam ac Galilæam peragraverit erroribus suis patrocinium & applausum quærens. Hoc convitio Diabolico volunt animum Pilati à Christo avertere, ne credat huic de resurrectione prædictioni, quam commemoraturi erant, cum sit hominis errantis & in errores inducentis prædictio. Experti erant Pilatum innocentiam Christi patrocinium præstitisse & ad concedendam honestè eum sepeliendi facultatē promptum fuisse, metuunt igitur, ne repullam patiantur, ideò Pilatum vocant suum Dominum, ut ipsius benevolentiam sibi conciliant, Christum verò appellant πλάνον, ut odium illius Pilati animo instillant. Chrysof. homil. 89. in Matth. in princ. notat, argumentum esse simplicis veritatis in Historica descriptione ab Evangelistis usurpatæ, quod non dubitant probrosum illud nomen, quo Christus ab hostibus notatus fuerat, in scriptis suis exprimere. Petant ergo Pharisei ac Pontifices, ut Pilatus jubeat sepulchrum ἀσφαλίσθη-ναι, tutum reddi, muniri, per custodiam sc. militarem, ut ex sequentibus intelligitur; Syrus vertit, præcipe esse diligentes circa sepulchrum, usque in diem desertum, scil. exactum, incertum enim erat, quâ parte diei tertiæ Christus esset resurrecturus, ne quando veniant discipuli ejus noctu, & furentur eum, di-

cantque plebi, surrexit à mortuis, & erit novissimus error pejor priore. In his verbis proponitur ratio postulati, hoc enim volunt dicere. Non quidem metuendum est, ne eventus respondeat prædictioni, hoc est, ne Christus resurgat die tertiæ, est enim impostor & seductor, id verò metuendum, ne discipuli, quorum complures sunt adhuc occulti, ut in sepultura apparuit, tempore noctis convenient, & corpus furtim è sepulchro ablatum aliò transportent ac postmodum imperitæ multitudinè persuadeant vaticinium hujus Jesu de resurrectione tertiæ die expectanda fuisse reverâ completum, ac proinde ipsum pro vero Doctore & Propheta agnoscendum esse. Sicut ipse πλάνος est, ita procul dubio discipulos in arte decipiendi ac fallendi instructos reddidit, fortè etiam secreto quodam mandato recepit, ut corpus è sepulchro suffurarentur, ac in populo mendacium de resurrectione postea spargerent. Sic ergò apparet, cur in tertium usque diem duntaxat sepulchrum custodiri petant, non autem in dies plures. Prædixerat Christus se tertiæ die resurrecturum, quòd si exacto die tertiæ corpus in sepulchro monstraretur, jamdum falsitatis convicta esset Christi prædictio, nec quicquam proficerent discipuli suis mendaciis, si quarto vel quinto die ipsum surrexisse dicerent. Sed enim, ut Historici dicunt, aliud esse αἰτίαι, aliud περίφασιν, ita quoque hoc loco alia subest causa, propter quam sepulchrum custodiri cupiunt, quàm est illa, quam verbis expriment. Verè enim metuebant, ne Christus è sepulchro redivivus prodiret, noverant enim ipsum præter omne meritum supplicio affectum, viderant divina ejus miracula, cum primis resuscitationem Lazari, conspexerant prodigia mortem illius secuta, & ipse quoque honor sepulturae, quo præter omnem ipsorum expectationem affectus fuerat, resurrectionis videbatur quoddam præludium, inde ergò tam solliciti sunt de sepulchro custodiendo, ut vel resurrectionem vel certè resurrectionis prædicationem ac fidem impedire possent. Quòd enim tale, quid à discipulis non fuerit metuendum, ut Christi corpus è sepulchro furtim auferrent, eumque resurrectisse postmodum mentirentur, omnes circumstantiæ ostendant. Quomodo namque inermes discipuli, qui fugâ omnes erant dilapii, tam exigua manu sepulchrum saxo obvoluto munitum audent aggredi & corpus Christi ex eo auferre? quomodo per subterraneos meatus in illud irrompere possent, cum ex petra fuerit excisum? cur mentirentur, eum surrexisse, à quo sese turpiter deceptos agnoscerent, nisi resurrectio die tertiæ fuisset secuta? quomodo homines illiterati, ignobiles pauperes, contemti & abjecti possent populo persuadere, illum resurrectisse, quem è sepulchro furtim abstulissent? quo fine talia populo persuadere vellent? Chrysof. hom. 89. in Matth. *Quare freti (Apostoli) ausi fuissent, resurrectionem Christi fingere; sermonium acrimoniam ac dicendi vehementiam? atqui omnium erant imperitissimi? pecuniarumne abundantiam? atqui nec baculum nec calceamenta habebant: generisne claritatem? atqui viles erant atque ex vilibus orti parentibus: patriæne splendore? atqui è regionibus erant obscuris: suæ multitudinè? atqui plures non erant quàm undecim; & illi quidem dispersi: promissionibusne Magistrum? quibus? si enim non surrexerit, nihil ille firmitatis aut ponderis apud ipsos habere poterat.* Ita.

Ita nimirum re ipsa convincuntur Pontifices, quod non metuant discipulorum furum ac mendacium, sed Christi resurrectionem. Quod addunt, metendum esse, *ne error novissimus sit peior priore*, intelligunt hoc modo, quod doctrina Christi profertur resurrectionis, facile enim patientur homines sibi persuaderi eum esse Dei Filium, quem tertio die a mortuis resurrexisset sunt persuasi; atque hic error posterior peior erit priore, quia latius in multorum animis propagabitur & in extremum discrimen Politiam Judaicam adducet, cum nihil aliud quam seditio & rebellio expectari possit, si persuasus fuerit populus, Primates ex Judæis curasse eum interfici, cujus innocentiam resurrectione Deus fuerit testatus. Apparet autem ex hoc Pontificum postulato, quam irrequieta res sit mala conscientia. Si impostor erat Christus & vana jactabat, cur metunt ac circumcurrunt, cur adeo solliciti sunt, tantumque studii impendunt? metunt, dices, ne discipuli illum furentur. At offendimus superius hoc rationi nullo modo esse consentaneum. Conscientia igitur irrequietæ stimulis ac tumultibus tribuendum, quod Pontifices tantoperè tumultuantur. Hactenus totis viribus laboraverant Christum in crucem agere, nunc ipso in crucem acto nondum quiescere possunt, sed sepulchro custodes addi petunt, ne unquam in lucem iterum prodeat. *Esa. 57. v. 20. Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest & ejiciunt fluctus ejus in conculcationem & lutum, non est pax impiis, dicit Deus meus.* Putabant votis suis satisfactum iri, si per mortem è medio ipsum tollerent, sed facti compotes hujus sui voti nondum quiescunt, ejiciunt denuò fluctus irarum suarum & cæno calumniæ Christum in sepulchro aspergunt. Stupendum hoc est odium & improbitas contra Christum.

*Passetur aliàs in vivis livor, post fata quiescit,  
Tunc jus ex merito quemque tuetur honos.*

Sed hoc loco ne quidem mortuo & sepulchro Jesu invidia Sacerdotum & Phariseorum extinguitur. Impostorem & seductorem vocant ipsi impostores ac seductores pessimi. Quod si & nos cogamur audire cum Christo & Apostolis *πλάνοι 2. Cor. 6. v. 8.* non feramus id gravius *Matth. 10. v. 25. Si Patrum familias vocarunt Beelzebub, quanto magis domestici ejus?* Stupenda insuper cæcitas est hostibus Christi & Evangelii perquam familiaris, quod impostorem vocant & militari custodia resurrectionem ejus prohibere volunt, cujus innocentiam tot miraculis contestatam viderant, quiq; divinam suam virtute alios suscitaverat & post mortem sepulchra mortuorum reseraverat. Illud it huc cæcitati Poeta Christianus Sedulius lib. 5. carm.

*Consiliis armate dolos, signate sepulchrum,  
Ponite custodes, monumento ad votum saxum,  
Quis poterit servare Deum, cui cardine rerum  
Cuncta patent &c.*

Quine quidem mortis, inferni ac Diaboli vinculis teneri potuit, quanto minus militum custodia sese detineri patieretur? Conqueritur de hac hostium suorum impietate ac malicia Christus ipse *Pf. 41. v. 8. Adversum me cogitabant mala mihi. v. 9. Verbum iniquum constituerunt adversum me, cum jacuerit, non amplius surget?* Eadem cæcitas conspicitur adhuc hodie in persecutoribus Evangelii, armata

manu gloriam Christi & propagationem doctrinae Evangelicæ impedire satagunt, cui è cælo veritatis testimonium daret mirabili ejusdem conservatione & progressu intelligunt.

2. *Ecquid verò responsi à præfide Pontifices & Pharisei accipiunt? Pilatus ait illis. Habetis custodiam, ite custodite, sicut scitis.* Verbum *εχετε* ambiguitè ponitur, cum per imperativum vel indicativum verti possit, sed res eodem redit, permittit enim illis Pilatus, ut *καταδυνας*, h. e. milites præsidarios in arce Antonia ad prohibendam seditio-nem collocatos huic muneri custodiendi sepulchrum præfiant. Custodiæ nomen Romanum est, quod Evangelista retinuit de Romanis militibus scribens. Græci dicerent *τὸ Φυλακίον*, perquam intelliguntur hoc loco *καθ' ἰπαρχίας* *Φύλακες* custodes, qui prius dicebantur *ὑποθητῆς*. Maro usus est eodem nomine. *Noctem custodia ducit in somnum ludo.* Syrus eandem appellationem Romanam retinuit. Quod Pilatus addit, *αὐτοφάλαρα, ἢ, firmior munite sepulchrum, sicut scitis*, videtur irrisio-nis esse, ridet enim homo gentilis & prophanus resurrectionis vaticinium, ridet etiam præposterum Pontificum metum, quod ab homine mortuo tantoperè sibi adhuc metuunt. Ut Josepho in concedendo Christi corpore ad sepulturam facilem atq; obvium sese præstiterat; ita hoc loco erga Pontifices & Phariseos in concedenda militari custodia ad sepulchrum Christi collocanda facilem se præstat, judicat enim de re nullius precii ac momenti, de corpore sc. mortui, non esse otiose altercandū. Exemplum igitur exhibet animi prophani supinè contemnentis religionem & ad aliorum arbitrium in ea se accommodantis, Pontifices, impetratà à Præfide facultate, *abeuntes muniverunt sepulchrum, ob signato lapide custodibus adhibitis.* Duplici igitur modo sepulchrum muniunt, ne vel Christus ex illo redivivus prodeat, vel discipuli corpus demortui furtim auferant. Primò *obsignant lapidem*, illum puta, qui clauderat os sepulchri. Videntur veriti, ne milites, ut homines profani acceptà pecunià corpus Christi ex eo deportari patiantur, ideò lapidis obfignatione fraudem eorum antevertere conantur. Quidam putant, quod signatorio Pilati annulo in hac obfignatione fuerint usi, sed verisimilius est, quod non Pilati solum sed & Synedrii sigillo majoris fidei causa usi fuerint, *opponentes hac ratione manus Christo resurgenti*, ut Hieronymus loquitur. Niceph. lib. 1. Hist. Eccl. c. 32. non solum annulo sed & ferro sepulchri ostium ab illis clausum fuisse memorat. *Traditum* (inquit) *est nobis ab antiquis, Judæos lapidem illum, qui in sepulchro pro operculo fuerat positus ad summum monumenti labrum, per amque infernè se illi conjungentem, ferramentis quibusdam sabrili lapididarum arte perforasse, ferrumque ingens à sabro ex propinquo acceptum per utrumque foramen immisisse, & in circuli sive annuli formam circumegisse, atque ita firmiter capitibus commissis omni ex parte quasi vinculum circumduxisse, ut lapis qualicunque modo revelli loco suo, aut saltem ratione aliquâ removeri non potuerit, nisi arte quapiam & vi adhibita necessariò aut ferrum confringeretur, aut petra rumperetur.* Beda lib. de loc. sanct. c. 2. testatur, lapidem illum suis temporibus monstrasse vinculo- rum ferreorum, quibus sepulchro alligatus fuerat, vestigia. Deinde sepulchro hac ratione obfignato addunt etiam custodes, qui vigilantes prohibeant,

ne

ne discipuli tenebris noctis ad hoc facinus abusi corpus è sepulchro furtim auferant. Sic ergò putant, resurrectionem Christi esse satis præpeditam & interclusam, sed mirabili Dei providentia accidit, ut eandem hoc pacto reddant & illustriorem & confirmatiorem Nisi curassent sepulchrum Christi obsignari ac muniri, potuissent specie quadam mentiri, corpus furtim ex eo per discipulos noctu sublatum esse, nunc vero cum ipsi milites testari cogantur, terræ motu sublatum esse lapidem sepulchralem, seque conspectu Angeli exterritos fuisse, gloriosior ex hac obsignatione & custodia facta est Christi resurrectio. Adde, quòd fama illius hac ratione longe lateque fuerit sparsa. Cum enim ipsimet Pontifices coram Pilato repeterent Christi de resurrectione sua prædictionem, excitati sunt omnium animi, ut avidè negotii exitum expectarent, ac fidem illius postea facilius admittèrent. Ita nimirum, ut Deus sua opera gloriosè perficere frustra renitentibus adversariis, quin etiam ipsis adversariorum consiliis & actionibus ad contrarium planè finem spectantibus operum suorum executionem promoveret. Pontifices cogitabant extremà ignominia Christum afficere & resurrectionem ejus prohibere, dum lapidem sepulchralem obsignant & custodes sepulchro addunt, sed Deus hac ratione promovet Christi & resurrectionis gloriam. Sic Josephi fratres eo sine Josephum vendunt in Ægyptum, ne cogantur illi honorem in somnio præmonstratum deferre Gen. 37 v. 28. sed mirabili Dei consilio hæc ipsa venditio & ablegatio in Ægyptum fit medium quo vaticinium illud completur & honor Josephi promovetur. Potest hic typus ad Christum accommodari, cum in aliis etiam Josephus fuerit Christi figura. Falsi fratres Judæi cupiunt Christum in fovea sepulchri concludere, idèò lapidem obsignant & sepulchro custodes addunt, ne unquam iterum prodeat, sed Deus mirabiliter hac ratione gloriam ipsius promovet. Illustrior est typus Dan. 6, 14. de quo superius egimus. Potest etiam hæc sepulchri Domini obsignatio mysticà interpretatione eò referri, quod per eam denotetur, peccata nostra Christi morte esse obsignata Dan. 9, 24. *לחתם חטאונ* Sicut li-

teræ signatæ non possunt legi, sic morte Christi delatum est *obirographum*, quod peccatorum nostrorum nos convincebat Col. 2. v. 14. Itemque quòd Prophetiæ V. T. morte Christi sint obsignatæ ac completæ, sicut literæ plenè absolutæ solent signari, hæc enim omnia in pulcherrimo loco Dan. 9. v. 24. continentur. *Septuaginta hebdomada decise sunt super populum tuum & super civitatem tuam sanctam ad consumendum prævaricationem & ad sigillandum peccata & ad expiandum iniquitatem & ad adducendum justitiam seculorum & ad sigillandum visionem & prophetiam & ad unguendum sanctitatem sanctitatum.* Simon de Cassia obsignatione lapidis sepulchralis Judæorum perfidiam ac duritiem denotari scribit, quod nec à malis operibus cessaverint, nec à duritie cordis recesserint. *Hic lapis appositus est per homines, remotus per Angelos, unde unusquisq; sibi pro meritis suis perfidiam & duritiem attrahit, sed non removetur nisi divinâ virtute.* Nobis convenit, ut impium Judæorum factum ad pietatem convertamus, eo scilicet modo, ut postquam Christum in cor nostrum fide receperimus, Sacramentorum sigillo & Spiritus sancti præsidio corda nostra muniamus ac diligens obstaculum contra recidivam peccati ponamus Christum è cruce deponimus, si à peccatis quæ ipsum crucifixerunt, cessamus, si aromatibus eum condimus, si pauperibus benefacimus; si donec mundâ ipsam involvimus, si verâ fide eum recipimus; sepulchrum tegimus & obsignamus, si ex terrore legis tabulis lapideis inscriptæ à peccatis denuò committendis abstinemus; custodes sepulchro addimus, si timorem Dei, considerationem iræ & judicii divini ac peccati detestationem pectori nostro insigimus, vigilantiam debitam adhibentes, ut Christus in nobis perpetuò maneat, neque à nobis peccati & securitatis somno stertentibus iterum suâ gratiâ discedat, sed ut in nobis vivat, nosque in eo vivamus, in ipso moriamur, cum ipso resurgamus & in cœlestem gloriam cum ipso & electis omnibus recipiamur.

\* \* \*

*Christe, meum cor obsigna, munimine firma,  
Hospitium ut semper sit maneatque tuum.*

HAR-



# HARMONIA HISTORIÆ DE RESURRECTIONE JESU CHRISTI.

## CAPUT CCVII.

CHRISTUS EX MORTUIS RESURGIT, ANGELUS LAPIDEM SEPULCHRALEM REVOLVIT, MULIERCULIS RESURRECTIO CHRISTI INNOTESCIT.

MATTH. 28. v. 1. MARC. 16. v. 1. LUC. 24. v. 1.  
JOHANN. 20. v. 1.

### RATIO ORDINIS.

**R**ost descriptionem sepulturæ & quietis Christi in sepulchro subiungitur ab Evangelistis Historia resurrectionis Dominicæ, nulla ergo vel dubitatio vel difficultas in *επιτάφιος* hoc loco occurrit. Cum enim die parasceves tribus ferme vel duabus horis ante Solis occasum Christus esset sepultus ac Sabbatho integro in sepulchro quievisset, die Solis, quam Evangelistæ vocant *primam Sabbathorum* summo mane rediit ex sepulchro surrexit, unde in Scripturis sæpius repetitur, die post mortem & sepulturam tertiâ Christum ex mortuis resurrexisse, qui dies quomodo numerandi sint, dicitur inferius. Id verò mirum alicui videri posset, cum in Symbolo Apostolorum inter sepulturam & resurrectionem Christi intermedium statuatur articulus de descensu ad inferos, cur tam altum de eo in scriptis Evangelistarum sit silentium? Factum ex eo procul dubio, quòd Synodus Nicena, Constantinopolitana, Toletanæ aliquot, Irenæus ac Tertullianus in enarratione Symboli Apostolici nullam hujus articuli mentionem faciunt. Cyprianus etiam (vel potius Rufinus) in exposit. Symb. testatur, in Symbolo Ecclesie Romane & Orientalium articulum illum de descensu Christi ad inferos non haberi. Sed Symbolum Athanasii hujus articuli meminit, & recte quidem: Quamvis enim Evangelistæ non describant Christi ad inferos descensum, tamen in scriptis Apostolicis expressa fit mentio hujus articuli, & in Symbolo Apostolico, quod pii veteres ab ipsis Apostolis collectum esse magno consensu docent (ut videre est apud Clem. lib. 1. Epist. 1. Ambros. serm. 38. August. serm. 181. de temp. Ruffin. in exposit. Symb. Cassian. lib. 6. de incarn. verbi c. 3. Leonem serm. 11. de pass. Dom. c. 2. Isidor. Hispal. l. 2. de offic. c. 23. Raban. de Instit. Cleric. &c. disertè dicitur, Christum non

tantum mortuum ac sepultum esse, sed etiam ad inferos descendisse. Quare verò Evangelistæ nullam prorsus hujus articuli mentionem faciunt? Resp. propositum ipsis fuit, ea solum Christi gesta describere, quorum ipsi vel fuerant *αὐτόματῶν*, vel quæ ex aliis oculatis testibus fide dignis perceperant; jam verò Christum ad inferos descendantem nemo mortalium viderat, quomodo igitur Historiam illius descensus Evangelistæ describerent? Pari ratione cum Christus extra omnium hominum conspectum resurrexerit sepulchri custodibus nec videntibus nec animadvertentibus, ideò Evangelistæ veritatem & certitudinem Dominicæ resurrectionis confirmaturi, non describunt ipsam resurrectionem ejusque modum, quâ ratione Christus rediit & gloriosum suum corpus ex sepulchro erexit, quâ majestate & gloria per lapidem sepulchralem prodierit, quâ Angelorum congratulatione & lætitiâ illud factum, quove temporis articulo & puncto resurrexerit &c. sed manifestationes tantum resurrectionis per sepulchrum vacuum, per apparitiones & conciones Angelorum ipsiusque Christi factas (quas Græci vocant *Ἰνδολήσις, Ἰνιφανείας, Φανερωσίς ἐπιταφίας*) copiose & accurte describunt, ex eadem omnino causa, propter quam descriptionem descensus Christi ad inferos prætermittere voluerunt. Porro de vero hujus articuli sensu alibi agitur, quòd scilicet metaphoricus ille descensus, cujus in Psalmis passim fit mentio Psal. 18. v. 6. Psal. 49. v. 16. Psal. 69. v. 15. 16. Psal. 86. v. 13. &c. (qui ad statum exinanitionis pertinet atque in eo consistit, quòd Christus per totum vitæ in his terris exactæ decursum, præsertim verò tempore passionis & mortis acerbissimos cruciatus, dolores, terrores & angustias verè infernales in sanctissimo suo corpore & anima propter nos pertulerit) quòd, inquam, metaphoricus ille descensus distinguendus sit

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Cont. pars quinta.

Hh

à vero